

DOCTRINA ET VIRTUTE PRAESTANTI

Georgio Hartmano Noribergensi, Ioachi-
mus Rheticus S. D.



CUM rerum humanarum inconstantiam, uarios casus summorum uirorum, regnorum mutationes confidero, cum in caeteris rebus imbecillitatem humani generis deploro, tum uero maxime doleo etiam in artes diuinitus humano generi traditas fata temporum seuire. Olim studia frequentissima Mathematicum fuerunt, tota ars ex fundamentis mira solertia, Deo monstrante initia & regente artificum mentes, extracta est, magna lux, magnus honos huius doctrinae fuit, Postea multis seculis iacuit obruta tenebris, fortasse eo quod in hac ultima mundi senecta orbis terrarum Barbarorum imperijs fato quodam oppressus est. Sed quia artes uitae utiles, praecipua Dei dona sunt, res ipsa ostendit, non humana ope, sed quodam singulari Dei beneficio, ut cunq; eas conseruari, & interdum rursus ceu flammam excitari, ne funditus intereant. Sed etiam cum restitute sunt, prorsus accidit hominibus, quod aiunt Pythagoram dixisse de caelestium motuum harmonia, qua ille quidem dixit effici dulcissimos sonos, sed non audiri eos, quia iam propter consuetudinem negligantur, ita surdi homines nec audiunt, nec tueri student artes diuinitus nobis redditas. Et ut caetera praesentia bona fastidimus, ita & hanc doctrinam, cum fruimur quotidianis beneficijs, leuiorem ducimus. Si deesset annorum enumeratio in historijs, in relligionibus, in foro, quantae essent in uita tenebrae. Si numerorum doctrinam non haberemus, infinita esset legitimorum contra-

A ij ctuum